Memoriæ Sacrum.

Reſiſte Viator, paucis te volo:

ROBERTVS CHESTER

Filius unigenitus HENRICI CHESTER
De LITLINGTON,
in comitatu Bedfordienſi, *Armigeri*;
Quem, ſero partu,
decimo quarto quàm nupſerat anno,
Sat habuit Mater,
Si eniteretur.
Illà defunctà, Patris *deliciæ, ac cura, fui:*
Spe meliore, *quàm ſeculo*,
inter armorum civilium aut ſtrepitus,
aut metus continuos, adolevi,
&
quam Natura *tribuerat* indolem
Linguarum *peritiâ*, Artium liberalium *ſcientiâ*
excolui,
Moribus probis *etiam ornavi.*
In ædibus D^ni Sterne *inſtitutus*,
Academiam *aliam non acceſſi, non vidi,*
ſed nec ulla *erat.*
Septima decima æſtas *me præproperâ ſuſtulit morte,*
cùm, intaminato *per tot* Sectas *animo*,
corpus *tenerum infeciſſent* variolæ
Mihi, patri, familiæ *noſtræ* (*proh!*) *funeſtæ*,
Patriæ *itidem* præſagæ:
Univerſa tum nutabat Britannia,
Ego occubui.
Non poſtulo ut illachrimes,
Nam & Te *forſan doles eſſe* ſuperſtitem.

Læſit multiplici Febris *Exanthemate* corpus,
Ætatem *Flores* deſtituêre ſui;
Interii *juvenis*: ſed, quæ ſunt tempora noſtra,
Eſſe *inopina* poteſt mors, *celer* eſſe nequit.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Obiit 2. Julii. A° d^ni 1659.

Cenotaphium hoc
defuncto mœrens
pp. *H. S.*